

velatum: unde credere in dubio revelationis non est tutius. At in dubio sequi opinionem faventem legi, nullum est periculum, sed est tutum, & solum tutum. Et hinc patet responsio ad probationem.

Ex dictis inferes, quid sit resolvendum in dubiis, quæ passim occurrunt; v. gr. dubitas, an voveris, teneris voto; an legeris horas, teneris legere; an res venalis sit fortiva, non potest emere: an sit audita 12. ante Dominicam, non potest comedere carnes; an comederis, vel biberis ante eandem horam auditam, non potes celebrare, aut communicare; & sexcenta similia. Intellege tamèn, modò non sit præsumptio veritatis pro parte minùs tuta. Sic, v. gr. si soles recordari eorum, quæ maturo consilio, & plene deliberatè facis, dubitans, an voveris, non teneris voto, quia si vovisses, voti recordereris, sicut recorderis aliorum, quæ plene deliberatè facis; sique est præsumptio, & magis probabile, quòd non voveris.

Si petas, quid sit faciendum, quòd in dubio non constat post diligentem inquisitionem, quæ sit pars tutior, & urget necessitas agendi alterutrum? R. tunc esse agendum iuxta alias communes Regulas Juris; nempe quòd benignius, quòd verisimilius, quòd plerumquè fieri solet, quòd est in usu, & consuetudine præferatur. Item actus valeat potius, quam pereat. Item pro reo potius, quam pro actore est pronuntiandum.

Monitum ad Probabilistas.

HIS omnibus, quæ in hoc & precedenti articulo diximus, maturè, & bona fide perpensis, videant, & dicant coràm Deo Probabilistæ, utrum argumenta, sive ab auctoritate, sive a ratione, quibus principia eorum reflexa huc usquè impugnativa, non sint saltem solidè probabilia, & merito attendenda? Si ita sint (quòd, ut puto, nemo sensatus, & prudens negare potest) palam est, hæc eorum principia reflexa non esse certa, sed ad summum probabilia, ex quibus proinde non possunt sibi formare Conscientiam moralitèr certam de licitate, seu honestate formali suæ actionis.

ARTICULUS III.

Ut rum liceat sequi opinionem probabilem minùs tutam in concursu minùs probabilis tutioris, ubi agitur de sola honestate objectiva actùs?

Expugnatis laxioribus Theologis, quibus omne probabile est licitum; aggredimur nunc rigidiores, quibus solum tutius est licitum. Contra quos

Dico: Quando agitur de sola honestate objectiva actùs, licitum est sequi opinionem manifestè, & solidè probabilem minùs tutam, seu faventem libertati in concursu minùs probabilis tutioris, seu faventis Legi. Est communissima contra Vendrokiùm in notis ad Ep. 5. Montaltii, Sinichium in *Saule Exegete*, & paucos alios, qui volunt, semper sequendum esse tutius. Dixi: Quando agitur de sola honestate objectiva actùs, scilicet, an liceat, necne; sive quando agitur de probabilitate juris, & quaeritur, utrum præceptum, aut Lex obliget: si enim agatur de probabilitate rei, seu facti, hoc est de validitate, substantia, qualitate, conditione alicujus rei, non semper est licitum sequi probabilem propter periculum nullitatis rei, aut alteri nocendi, quòd probabilitas opinionis de facto non abstergit. Sic v. gr. quamvis sit probabilis Baptismus valere in tenui cerevisia, talem conditionem non requirit ad hunc Contractum, hunc potum non esse venenatum, feram, & non hominem latere in dumo; non tamèn licet sine necessitate conferre Baptismus in tenui cerevisia, facere Contractum sine tali conditione, sumere hunc potum, explodere in hunc dumum; quia ista probabilitas facti, cum nihil immutet in rebus, nec faciat, quòd id, quòd requiritur ad validitatem actùs, non requiritur, nec quòd id, quòd adest, non adsit, aut non noceat, non abstergit periculum; secùs, quando est probabilitas juris, an liceat actio, an sit Lex prohibens, quia, cum Lex, quæ prudentèr creditur non existere, non obliget actu, ut modò dicemus, probabilitas opinionis, secundum quam creditur prudentèr non existere, abstergit periculum agendi formalitèr contra Legem actu obligantem. Undè opiniones probabiliores, quæ versantur circa res, aut facta, sunt speculative tantum, nec influunt in dictamen practicum Conscientiæ; quæ autèm versantur circa jus, seu licitatem actionis, sunt speculative-practicæ, & influunt in dictamen practicum practicum mediante judicio reflexo. Sic, quamvis mihi probabilis sit validum esse Baptismus in tenui cerevisia, aut latere feram in dumo, non est mihi probabile licitum esse conferre Baptismus in tenui cerevisia, aut explodere in dumum, propter periculum, quòd non abstergit mea probabilitèr opinio de facto. Et hæc, quæ spectant hucusquè dicta, & modò dicenda, sunt diligenter

annotanda, ut jam supra annotavimus, quibus notatis,

Prob. Conclusio 1. ex definitione Sedis Apostolicæ. Licitum est sequi opinionem inter probabiles probabilissimam: ergo & solidè probabilior. Antecedens constat ex condemnatione hujus propositionis, quæ est Sinichii: *Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam.* Est tertia inter damnatas ab Alexandro VIII. Prob. Conseq. Si non esset licitum sequi opinionem solidè probabilior, idè esset juxta adversarios, quia manet formido de opposito, & periculum transgrediendi Legem; atqui opinio probabilissima etiàm includit necessariò formidinem de opposito: ergo, si hoc non obstante licitum sit sequi illam, licitum est etiàm sequi solidè probabilior. Prob. Min. Opinio probabilissima remanet intra fines probabilitatis: ergo est necessariò cum formidine partis oppositæ; opinio enim probabilis est essentialitèr assensus uni parti ex motivo idoneo ad suadendum, moralitèr tamèn fallibili, & idè cum formidine partis oppositæ.

Si dicas cum Daëlman, & quibusdam aliis, quibus solum probabilissimus est licitus, quòd in opinione probabilissima remaneat quiddam formido, seu periculum quoddam remorum, & dubium speculative peccati ipso facto, quòd sententia non est speculative certa; sed non remaneat periculum, & dubium morale, sive quòd in praxi a viro prudente meretur attendi. Hoc ipsum etiàm dicimus de opinione manifestè, & solidè probabiliori. Et quidquid dicunt pro probabilissimo, dicam pro solidè probabiliori: nisi forte dicant, ut vellet innuere Daëlman, quòd probabilissimus sit moralitèr certus. Hoc autèm prorsus falsum est & contra notionem probabilitatis, intra cujus fines sistit probabilissimus. Omitto ineptam quorundam responsionem, scilicet Pontificem definitivè quiddam licitum esse sequi opinionem probabilissimam, sed tutiorem: quasi verò fuerit unquam controversia, aut aliquis unquam dubitaverit, an esset licitum sequi probabilissimum tutius; & ipse Sinichius, e cujus Libro hæc propositio extracta est, illam non sustineret de probabilissimo minùs tuto.

Prob. 2. auctoritate 1. S. Th. 2. 2. q. 70. art. 2. In actibus humanis, inquit, super quibus constituntur judicia, non potest haberi certitudo demonstrativa, ed quòd sint circa contingentia, & variabilia; & idè sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus deficiat. 2. S. Antoninus 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. sub finem: Notandum, inquit, secundum Cancellarium (Gersonem), quòd certitudo, quæ requiritur in materia morali, non est certitudo evidentiæ, sed probabilis conjecturæ. Non enim consurgit certitudo moralis ex evidentiæ demonstratione, sed ex probabilibus conjecturis grossis, & figurativis, magis ad unam partem, quam ad alteram se habentibus. Dicitur autem probabile, quòd pluribus, & maxime sapientibus apparet verum. Ex his igitur sequitur, quòd in humanis agilibus...sufficit talis certitudo, quæ non semper scrupulos omnes abscindit. Idem ibidem paulo ante dicit, aliquem posse agere secundum opinionem probabilem, modò habeat rationes probabiles magis pro re ipsa, quam pro opposita opinione. Et paulò post: Dummò talis opinio non sit contra auctoritatem expressam Scripturæ... & quòd ex contrarietate opinionum non inducatur ad dubitandum, sed bonam sibi conscientiam, & credulitatem formet de eo, quòd credit tanquam de probabiliori parte.

3. S. Thom. S. Boaventura, S. Antoninus, & alii Doctores Catholici sæpè docuerunt sententias probabiliores minùs tutas contra tutiorem: sic S. Thomas docuit non esse præceptum confitendi statim post lapsum, contra opinionem probabilem, & tutiorem S. Boaventuræ: ergo consenserunt illas posse reduci ad praxim; aliàs voluntariè induxissent homines in errorem, quòd nefas est de illis suspicari.

4. Plures SS. Pontifices dispensarunt in matrimonio rato contra probabilem, & tutiorem plurium opinionem: similiter in aliis dispensationibus, & casibus utuntur sæpè opinione probabiliori, aut absolutè probabili, licet minùs tuta; sed & Reges in administrandis Regni negotiis, Judices tam Ecclesiastici, quam Sæculares in dirimendis litibus, sequuntur non semper, quòd est tutius, sed quòd est probabilius. Undè hæc Regule, seu communia Juris axiomata: Quòd verisimilius præferatur. Ubi sunt opiniones discordes, Judex sequatur communem.

5. Profero praxim communem etiàm timoratorum, etiàm adversariorum. Respondeant coràm Deo: sequuntur in omnibus, quòd est tutius? Numquid fortè aliquid ex ipsis possident plures præbendas contra opinionem contrariam tutiorem? Numquid quotidie acceptant beneficia, cum esset tutius illa relinquere aliis fortasse dignioribus? Et plura similia.

Prob. 3. ratione. 1. ille non peccat formalitèr, qui facit, quòd prudentèr, quòd rationabilitèr, & bona fide judicat, nequidem esse peccatum materiale contra legem; atqui, qui sequitur opinionem solidè probabilior de honestate objectiva sui actùs, facit, quòd prudentèr, quòd rationabilitèr, & bona

na fide judicat nequidem esse peccatum materiale contra legem: ergo. Major est certa; nam prudentia, ratio, bona fides sunt Regule nostrarum actionum. Prob. Min. 1. Ille prudentèr, & rationalitèr judicat, qui judicat secundum merita cause, ut patet ex terminis, & in omnibus Judiciis tam publicis, quam privatis; atqui, qui id, quòd sibi probabilius est licitum, seu id quòd graviora & solidiora motiva suadent esse licitum, judicat secundum merita cause, ut patet: ergo. 2. Ille prudentèr judicat, qui judicat ex motivo, quo vir prudens solet determinari ad judicandum; atqui vir prudens solet determinari ad judicandum ex motivo probabiliore & solidiori: ergo. 3. Ille prudentèr judicat, qui, si secus judicaret, imprudentèr judicaret; atqui, qui judicaret id, quòd probabilius est licitum, esse illicitum, imprudentèr judicaret, sicut imprudentèr judicaret, qui colorem similiorum albo, quam nigro, judicaret esse nigrum: ergo.

Dices: Judicio prudenti non potest subesse falsum, prudentia enim est virtus certè practicè vera; atqui huic judicio, quo judico id, quòd est probabilius, non esse contra legem, potest subesse falsum: probabiliora enim sunt quandoquè falsa: ergo. R. D. Maj. Judicio prudenti, id est a prudentia elicitum, quale est judicium practicè-practicum de honestate formali actùs, non potest subesse falsum. C. Maj. Judicio prudenti, id est a prudentia imperato, N. Maj. Istud autèm judicium de honestate objectiva actùs, est a prudentia imperatum; at ipsum imperium elicitum a prudentia non potest esse falsum.

2. Ille, qui facit, quòd probabilis judicat esse objective honestum, seu nulli legi contrarium, si fortè sit lex prohibens, illam invincibilitèr ignorat; atqui ignorantia invincibilis legis excusat a peccato formali, ut patet ex hac propositione 2. damnata ab Alexandro VIII. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris nature, hæc in statu nature lapsa operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.* Prob. Min. Qui seriò enititur ad veritatem, facitque totum, quòd moralitèr potest, ut eam assequatur, & sequitur, quòd propriè ad eam accedit, si fortè non attingat, invincibilitèr illam ignorat, quia ea ignorantia est invincibilis, quæ humano studio vinci non potest, ut dicit Auctor 1. 2. q. 76. art. 2.; atqui totum hoc prestat, qui post sufficientes examen sequitur opinionem probabiliorum: ergo.

Dices cum Daëlman, quòd ignorantia legis sui malitiæ objectivæ actionis non censetur invincibilis, ubi quedam argumenta reperitur ipsi operanti nota pro ipsa lege, seu malitiæ. Undè, quamvis fortè tunc invincibiliter ignoret malitiæ certitudinem, non tamèn invincibiliter ignorat malitiam, seu legem, quæ probabiliter novit talem. Sed contra 1. Ex hoc argumento sequitur, quòd neque ex opinione probabilissima habeatur ignorantia invincibilis legis, siquidem cum ea reperiantur etiàm argumenta operanti nota de legis existentia. 2. Quamvis sint argumenta in contrarium tam in probabilissima, quam in probabiliori, ista sunt negligenda & postponentia probabiliorebus & gravioribus; ex quo fit, quòd operans, qui seriò quaerit veritatem, & ad illam, quantum potest, nititur, non possit prudentèr judicare partem illam minùs probabilem esse veram, sed contrariam, quæ est vero similior. Undè respectu ipsius, quantum ad judicium prudens, perinde se habent illa leviora argumenta, quasi non essent, & sic non impediunt, quin ignorantia legis sit moralitèr invincibilis.

Dices cum Auctore Ethicæ. Ignorantia quancumque cognitionem excludit, etiàm minùs probabilem; neque enim ab ignorantia excusare se potest, qui proximo damnum intulit temporale, ex eo quòd non agnovit illud ex actu suo certò, aut probabilius sequiturum, sed solum minùs probabiliter sequiturum. Et hæc tanta fiducia profert iste Auctor, ut putet eos debere erubescere, qui ex opinione probabiliori inferunt ignorantiam invincibilem. At nos non movent hæc illius duriora verba. Notum est enim omnibus, quantum depræcat extremas, & rigidiores opiniones, & quantum sit extremis in illis propugnandis: quapropter fronte serena R. 1. D. Ant. Ignorantia invincibilis excludit quancumque cognitionem attendendam, C. Non attendendam, N. Aliàs neque ex probabilissima opinione possent inferri ignorantia invincibilis, cum non excludat cognitionem minùs probabilem. Ad probat. N. Cons. Disparitas est, quòd, ubi agitur de damno proximi, minor cognitio sit attendenda, non ubi agitur de honestate objectiva actùs. Et ratio est; quia ex lege charitatis & justitiæ non licet nobis absquè justæ & gravi causa exponere probabili periculo vitam, famam, fortunam, salutem proximi. Undè in his casibus non solum non possumus uti probabiliori opinione, sed nec probabilissima per se loquendo; quia, licet probabilius, aut probabilissimum sit, quòd mea actio non inferet damnum, non est tamèn probabilius, aut probabilissimum, quòd possim sine justa causa ponere actionem probabilitèr damnificativam proximi. At, ubi agitur de sola honestate objectiva actùs, seu de obligatione actuali legis, hoc ipso quo prudentèr judico illam non existere, ignoro invincibiliter

ejus obligationem actualem. Ur itaque uno verbo omnes tricas arguantis expeditam: R. 2. dato in casu opinionis probabilioris de non existentia legis, non dari ignorantiam invincibilem legis obligantis in actu primo, datur tamèn ignorantia invincibilis legis obligantis in actu secundo, quia lex, quæ prudentèr existimatur non existere, non obligat in actu secundo; dum enim prudentèr judicatur non existere, perinde est in ordine ad obligandum hic & nunc, ac si non existeret, cum unicuique sit licitum agere secundum judicium prudens.

Prob. 4. ab inconvenientibus. Si semper sit sequendum tutius, sequitur 1. prorsus esse inutile studium Theologiae moralis; frustra enim fangimur, libros evolvimus, noctes & dies insumimus inquirendo, quæ sententiæ sint veriores, aut probabiliores; frustra congerimus argumenta, plerumquè non demonstrativa, ad eas stabiendas; frustra indocti consulunt Doctores, an hoc, vel illud sit licitum; si quidem antè omne studium, antè omnem inquisitionem & consultationem, norunt omnes tutius, & solum tutum esse ab his abstinere. Sequitur 2. prohibendos esse & removendos omnes libros Theologiae moralis, etiàm opera S. Thom. Bonaventuræ, Antonini, &c. tanquam scandalosos, & inductivos in peccatum; cum sit vix unus Auctor, qui non sæpè doceat opiniones probabiliores faventes libertati contra tutiores stantes pro lege. Sequitur 3. Hos SS. Doctores & innumeros alios, doctrina & pietate insignes, gravitèr peccasse docendo istas opiniones probabiliores minùs tutas, & gravius, quam qui illas sequuntur in praxi, quia doctrina magis serpit, plures inficit, & diutius permanet. Sequitur 4. Ultra modum aggravari jugum Christi, & fieri prorsus intolerabile. Nam, si tutius in omnibus sit sequendum, Principes non poterant exigere tributa, sibi probabilius & probabilissimè debita; neque bellum gerere, quantumvis jus sit probabilius; quia tutius est abstinere. Possessor, qui legitime præscriptis, non poterit rem præscriptam retinere, neque ille, cui res est adjudicata secundum probabilior sententiam; quia tutius est utrumque relinquere. Nullus poterit exigere aliquid ex mutuo ratione lucrifessantis, nullus creare census personales, aut mixtos, quia oppositum utriusque est tutius. Nullus retinere poterit, quòd probabilis & probabilissimè judicat esse suum, sed tenebitur restituere, quia id est tutius. Alter, cui restituetur, paritèr tenebitur restituere primo, quia non est certus, & ille primas iterum, sique fiet circulus restitutionum ridiculus & interminabilis. Item, qui actum Contritionis elicit in ordine ad confessionem, tenebitur secundum elicere, post secundum tertium, & sic sine fine, quia fortè priores non fuerunt sufficientes, & tutius est iterare; & sic in innumeris casibus quotidie emergentibus: ita ut totus mundus ad stuporem attentus se miraretur undequaque inversum, Doctores viderentur reprobescere, plures ex nimia anxietate stultescerent, regna non subsisterent, & convictus humanus prorsus deperiret. Porro quòs credat fieri posse eam sententiam esse veram, ex qua tot falsa, tot absurda sequuntur?

Solvuntur objectiones.

NOta, omnia fermè argumenta, quæ obijciuntur, si quid valeant, probare neque licitum esse sequi opinionem probabilissimam, quòd est damnatum, & quòd negant plures ex his, qui contra nos arguunt. Undè cum nimium probent, nihil probant.

Obj. 1. Plures auctoritates Scripturarum, quas contra minorem, & æqualem probabilitatem protulimus, & alias quæ videntur militare contra præsentem Conclusionem; sic Deuter. 26. Deus præcepit mandata sua impleri ex toto corde. Math. 7. dicitur angusta via, quæ ducit ad vitam: 1. Thesal. 5. Omnia probate, quòd bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos: Et Prov. 14. Est via, quæ videtur hominibus justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem; atqui hic omni-bus videtur innui tutius esse sequendum: ergo. R. 1. Hæc omnia paritèr militare contra opinionem probabilissimam. R. 2. N. Min. Ad 1. intelligitur de mandatis sufficienter propositis, non de his, quæ prudentèr judicantur non existere. Ad 2. Verè angusta est via, secundum nos, qui non permitimus sequi sententiam minùs, aut æquè probabilem: si autèm non liceret sequi probabilior, non solum foret angusta, sed angustior & angustissima, vix cuiquam pervia. Ad 3. Priora verba hujus textus intelliguntur de Prophetiis, quæ tunc vigeant in Ecclesia, & sensus est: omnia, quæ dicuntur a fratribus tanquam prophetantibus, diligenter expendite, & quidquid invenieritis consentaneum sacre doctrinæ, illud tenete. Posteriora verba important generale præceptum, quo monentur, ne quid agant, quòd præ se ferat speciem mali, etiamsi non sit per se malum; & est præceptum vitandi scandali. Ita Estius in hunc locum, & alii Interpretes. Ad 4. ibi sermo est de errore, seu ignorantia viacibili.

Inst. Juxta Scripturam Joann. 16. Interfectores Apostolorum probabilius existimant se obsequium præstare Deo. Similiter Idololatæ & Hæretici existimant suam Religionem esse probabiliorē; atqui tamē nec illi, nec isti excusantur: ergo. R. D. Maj. Existimant probabiliter, &c. non adhibita sufficienti diligentia ad inquisitionem veritatis, Transeat: post adhibitam sufficientem diligentiam, sicut intelligimus conclusionem nostram, ut dicam art. seq. N. Unde judicium non erat, nec est prudens, neque ignorantia invincibilis; nostrum autem est prudens, & ignorantia invincibilis legis actu obligantis, ut probatum est. Loquimur in hypothēsi, quod Infideles & Hæretici habeant aliquam probabilitatem de falsitate suæ Religionis; aliā posset dari in eis ignorantia invincibilis.

Obj. 2. Multi Canones, & SS. Patres laudati contra Probabilitatem dicunt tutius esse sequendum, dimitendum incertum, & tenendum certum: ergo. R. Hæc esse intelligenda de dubiis, seu minus aut æquè probabilius, quæ fundare non possunt judicium prudens, sicut potest probabilior, ut probatum est.

Inst. 1. Aug. præter dicta articulis præced. dicit libr. de utilitate credendi c. 11. quod opinio nunquam sit sine vitio. Et Hom. 11. inter 50. Ecce, inquit, dat tibi securitatem procurator, quid tibi prodest, si Pater-Familias non admittat? ergo. R. Aug. non sumere opinionem, sicut nos, pro assensu ex motivo probabili, sed pro errore, in quo quis obstinate perseverat: quod opinatur, inquit ibid. debemus errori. Ad 2. Non loquitur S. Doctor de agente ex opinione probabiliori de honestate actus; sed de peccatore procrastinante de die in diem suam poenitentiam, admonetque tempus futurum esse incertum, & ex solo Dei nutu pendere, non ex opinione hominum, securitatem nobis imprudenter promittentium.

Inst. 2. S. Gregorius 5. moral. c. 6. & 7. dicit, Sanctos de bonis operibus formidare: ergo censes, tutius esse sequendum. R. N. Conseq. Quia, licet tutius teneretur, id est, opinio favens legi, adhuc esset locus formidini propter defectum alicujus circumstantiæ, vel admixtionem alicujus occulta vanitatis, amoris proprii, vel alterius imperfectionis. Unde, etsi Sancti sequeretur probatissimum & moraliter certum, semper haberent, quod formidarent.

Inst. 2. Fx Bellarm. in præcedentibus cit. & Cajetano, & quibusdam aliis Theologis, qui videntur docere eligendum esse tutius. R. Eos esse intelligendos de tuto eligendo, quando non potest haberi judicium prudens de honestate objectiva actus, & inde certitudo practica de honestate formali, sicut haberi non potest in opinione minus, aut æquè probabilis, secus in probabiliori, ut probatum est; aliās non liceret sequi probatissimum.

Obj. 3. S. Thom. Quodlibet. 8. art. 13. dicit: *Illud, quod agitur contra Legem, semper est malum, non excusat per hoc quod est secundum conscientiam*: ergo non est licitum agere secundum opinionem probabiliorē; quia, si contingat esse contra Legem, ut potest contingere, peccat agens. R. Hunc D. Thom. textum, quem multum extollunt Adversarii, si non intelligatur cum modificatione, & distinctione infra ponenda de lege vincibiliter ignorata, & conscientia vincibiliter erronea, militare contra ipsum S. Thom. & contra ipsos oppositos. 1. Militat contra S. Thom. quia, cum S. Thom. loquatur hic indefinitè de omni eo, quod est contra Legem, sequeretur, quod nullam ignorantiam legis invincibilem & excusantem admitteret, cujus contrarium aperte docet locis citatis superius, & alibi probabimus. Neque dicas, ipsum hic restringere ignorantiam, quam vult semper esse vincibilem, ad ignorantiam Juris naturæ, quia ponit exemplum de fornicatione. Non enim exemplum semper restringit assertionem infinitè, & generalitèr positam, quia non oportet omnium specierum exempla afferre. Sicut, si dicerem: *ignorantia vincibilis non excusat a peccato, ut patet in eo, qui fornicatur*: malè inde inferes propter exemplum positum Juris naturæ, malè restringere meum dictum ad ignorantiam vincibilem Juris naturæ, & secundum me ignorantiam vincibilem Juris positivi divini, vel humani excusare. Insuper falsum est, S. Thom. nullam admittere ignorantiam invincibilem & excusantem Juris naturæ, ut alibi ostendam. Ceterum, si præcisè propter exemplum positum Juris naturæ velint S. Doctorem solum loqui de eo, quod est contra Legem naturæ; dicam ego eodem jure, vi præcisè exempli positi, ipsum loqui de lege naturæ propinqua, & quæ dicitur secundæ clausi, qualis est lex prohibens fornicationem, & de qua concedimus non posse, per se loquendo, dari ignorantiam invincibilem, & excusantem per hoc quod est secundum conscientiam. 2. Militat contra ipsos arguentes: quia ex illo textu sic generalitèr, & indefinitè intellecto, sequeretur, quod non liceret sequi sententiam probatissimam, imò nec moralitèr certam, quia etiā moralitèr certa potest impingere in legem. Scio quidem, aliquos ex his, qui restringunt textum S. Thom. ad solum

Jus naturale, etiā sustinere non esse licitum sequi sententiam probatissimam, & moralitèr certam in his, quæ spectant Jus naturæ; sed quo solidò fundamento, nescio; cum quibus autem absurdis & inconvenientibus scio, cum his scilicet omnibus, quæ supra deduximus ex sententia Tutoristarum. Dicendum itaque, S. Thom. loqui de eo, quod est contra legem culpabiliter & vincibiliter ignorantiam; & secundum conscientiam culpabiliter & vincibiliter erroneam. Itā hunc textum explicant S. Antoninus, Sylvester, Adrianus, & alii communiter tam Thomistæ, quam extranei. *Hæc verba D. Thom. inquit S. Antoninus 1. part. Tit. 3. c. 10. §. 10. post medium, non possunt intelligi, nisi de his, ubi manifestè patet ex Scripturis, vel Ecclesie determinatione, quod sit contra legem Dei; & non de illis, ubi non apparet: aliàs sibi contradiceret in eodem libro, quod non esset credendum.*

Instat ex S. Antonino Henricus a S. Ignatio 1. 11. c. 83. sect. 4. his verbis: *S. Antoninum pro se referre solent Probabilioristæ; intrepidè nihilominus assero ipsam nobis adstripulari in materia Juris naturalis. Quia 2. p. summ. Tit. 8. cap. 9. §. 2. expressè & absquè exceptione dicit, quod in his, quæ sunt de Jure naturali, vel divino, quantumcumque consuleretur homini ignorantia peritissimis contrarium veritatis, non excusaretur a peccato, illud agendo. Quia in hujusmodi non potest habere locum ignorantia invincibilis, quoad habentes usum rationis. Ego verò intrepidè respondeo, me attentè legisse istud c. 9. Tit. 8. p. 2. Summæ S. Antonini, & me in eo non reperisse neque §. 2. neque ullum verbum ex citatis. Ceterum, si fortè alicubi aliquid simile habeat S. Antoninus, quod difficultè credo, intelligendum est de is, quæ sunt de Jure naturali 1. & 2. classis, aut aliquo alio sensu legitimo, quem indicaret textus, si exhiberetur; non verò de omni Jure naturali etiā difficultè & remoto, ut fingit iste Auctor, aliàs sibi aperte contradiceret S. Antoninus, ut patet ex ejus Glossa cit. in textum S. Thom. Quod autem reponit Henricus, & S. Antoninum sic exposuisset textum S. Thom. non quod ita sit, sed ad aliqualè solatium scrupulosorum, videtur maximè injuriosum sanctissimo Præsuli, quasi voluerit per falsitates & mendacia solari scrupulosos, præsertim cum eo loci agens de interpretatione legum, & loquens de scrupulis, dicat pertinere ad quemcumque pro facto suo interpretari præcepta & humana, & divina, *si tamèn rationalitèr interpretetur.**

Obj. 4. Ex opinione tantum probabiliori de honestate objectiva actus non potest formari conclusio practica moralitèr certa de honestate formali: non enim potest conclusio esse certior principio: ergo. R. 1. Retorquedo argumentum. Ex opinione tantum probatissima non potest formari conclusio practica certa: ergo. R. 2. D. Ant. Ex opinione tantum probabiliori non potest immediatè formari conclusio practica certa, C. Mediatè, N. Posita enim opinione probabiliori de honestate objectiva actus, agens mediante judicio reflexo moralitèr certo, quod ipsam opinionem probabiliorē habet pro objecto, format dictamen practicum moralitèr certum, eo modo quo dictum est in probationibus, scilicet: ille non peccat formalitèr, qui facit, quod prudenter judicat esse objectivè licitum; atqui, qui agit secundum opinionem solidè probabiliorē, facit, quod prudenter judicat esse objectivè licitum: ergo non peccat. Major est physicè certa, Minor est moralitèr certa.

Inst. 1. Tutoristæ, & qui stant pro opinione probatissimam negant minorem hujus judicii reflexi: ergo non est moralitèr certa. R. 1. Retorquedo argumentum. Tutoristæ negant minorem similis judicii reflexi, ubi agitur de opinione probatissima: ergo ista minor non est moralitèr certa: ergo non licet sequi opinionem probatissimam, quod est damnatum. R. 2. D. Ant. Tutoristæ, & qui stant pro opinione probatissima, negant minorem hujus judicii reflexi, & hi sunt admodum pauci comparatè ad eos, qui affirmant, & fundatè negant, C. Ant. Et hi sunt comparatè plures, & fundatè negant, N. Ant. Præsertim, cum omnia, quæ opponunt contra Probabiliorismum, militent paritèr contra Probabilissimum, ut patet ex jam dictis, & patebit ex sequentibus, & nihilominus certum manet licitum esse sequi Probabilissimum. Unde ex eorum negatione non tollitur certitudo moralis hujus minoris, ut enim rectè advertit Cajetanus verbo *opinio uti n. 4. Non propterea aliquid opinio tenetur* (intelligi opinionem propriè dictam, quæ sit cum formidine fundata partis oppositæ) *quia diversi Doctores contraria sentiunt, quoniam cum hujusmodi contrarietà stat, quod una pars sit ratione sufficiente ad moralem certitudinem fulta; & jam non est opinio apud sapientes illam rationem: sed quia nescimus multi discernere inter certitudinem moralem & Mathematicam, omnia quodammodo locant sub opinione.*

Inst. 2. Istud judicium reflexum non tollit periculum probabile agendi contra legem, cum probabilis possit esse falsum: ergo. R. 1. Retorquendo argumentum contra probabilissimum.

2. D.

2. D. Ant. Non tollit periculum agendi formalitèr contra legem N. agendi materialitèr contra legem, sub distinguo: non tollit periculum, quod a viro prudenti contentum debet, C. quod a viro prudenti non debet contentum, N. Sic enim judex, judicans secundum testimonium duorum testium, aut ex motivis probationibus, prudenter judicat, & illud prudenter contentum periculum errandi materialitèr, ita intellectus noster, qui est judex veritatis, prudenter judicat verum id, quod gravioribus & verisimilioribus motivis nititur, prudenterque contentum periculum leve errandi materialitèr contra legem, præsertim cum melius sit interdum errare materialitèr, assequendo plerumquè veritatem, quàm semper hæere dubius & suspensus.

Inst. 2. Transgressio materialis legis est verè malum improbandum, & summa cura fugiendum: ergo semper est eligendum tutius. R. 1. Inde probari, non esse licitum sequi probatissimum & moralitèr certum. 2. D. Ant. Transgressio materialis legis est malum fugiendum summa cura, id est, moralitèr possibile, qualem adhibet, qui non agit nisi id, quod prudenter judicat non esse contra legem, C. id est, omne cura excogitabile & summe difficultè, qualis adhiberi deberet, si semper tutius; aut probatissimum esse tenendum, N. id enim non exigit leges prudentiæ, & inde aggravaretur ultra modum onus legis, fieretque moralitèr intolerabile, aliisque inconvenientia sequerentur, ut dictum est. Unde neganda est Consequentia.

Obj. 5. Tria dumtaxat requiruntur ad peccatum formale, 1. ut lex violetur: 2. ut actus sit voluntarius: 3. ut si cum cognitione malitiæ; atqui hæc tria reperuntur in eo, qui sequens opinionem probabiliorē agit contra legem: ergo. R. 1. Retorquedo argumentum; atqui hæc tria reperuntur in eo, qui sequens opinionem probatissimam agit contra legem: ergo. 2. N. Min. pro 2. & 3. parte. Vel D. Adest cognitio malitiæ formalis, N. ignoratur enim tunc invincibilitèr lex ut obligans in actu secundo. Adest cognitio malitiæ objectivæ, subdistinguo: negligenda a viro prudenti, C. attendenda, N. unde ejus actus formalitèr ut peccaminosus non est ipsi voluntarius. Patet ex dictis.

Obj. 6. Non est mihi licitum sequi opinionem probabiliorē de validitate sacramenti, vel ubi agitur de damno temporali mei vel proximi: sic mihi non licet conferre Baptismum in tenui cerevisia, explodere in dumum, in quo probabilis est esse feram, sumere potum, qui probabilis non est venenosus: ergo neque agere quod tantum probabilis non est contra legem. Non enim minori cura debemus vitare transgressionem legis, quàm irreverentiam Sacramenti, & damnum nostrum temporale, aut Proximi. R. hæc objectionem fuisse preoccupatam in observatione posita post Conclusionem. Concesso ergo Antec. N. Conseq. 1. Quia inde sequeretur, quod nec possemus sequi opinionem probatissimam, imò nec moralitèr certam de honestate objectiva actionis, quia non possumus sequi probatissimam in casibus positus; imò nec, meo saltem judicio, moralitèr certam, quando agitur de validitate Sacramenti absolutè necessariis, v. gr. Baptismi pro infante. Disparitas est, quod sit præceptum Religionis & saltem charitatis de non exponendo Sacramento periculo nullitatis propter irreverentiam, & nocuentum proximi, qui privaretur effectu Sacramenti; item & præceptum justitiæ, aut saltem charitatis, nec me, nec proximum exponere sine causa periculo damni corporalis. Jam autem mea opinio probabilior de valore Sacramenti, seu alterius facti, etiam nihil immutat in Sacramento vel facto, non abstergit periculum, quod inest ex minus probabili. Unde, quavis sit probabilis valere Sacramentum, aut non esse periculum damni, non est tamèn probabilis licitum esse ponere Sacramentum, aut factum cum tali periculo. Et ideo dixi superius, istas opiniones de valore facti esse tantum speculative, nec influere in dictamen practicum. Et verò, quando mihi probabilis est, hanc actionem esse licitam, prudenter judico non existere legem eam prohibentem; lex autem, quam prudenter judico non existere, non obligat actu, ut probatum est, sicut abstergit periculum agendi contra legem actu obligantem & peccandi formalitèr.

Inst. Prudens existimatio, sed incerta, de validitate Sacramenti non excludit irreverentiam erga Sacramentum: ergo nec prudens, sed incerta existimatio non existentia legis excludit irreverentiam formalem erga legem. R. præsupposita retorsione argumenti contra opinionem probatissimam, N. Conseq. Disparitas est data; quia prudens existimatio de validitate Sacramenti nihil immutat in isticutione Christi de requisitis ad validitatem Sacramenti, a qua tamen institutione pendet validitas, sicut non tollit periculum nullitatis & irreverentiæ. At verò prudens existimatio, quod lex non existat, tollit actualèr ejus obligationem; lex enim, quæ prudenter judicator non existere, se habet ad obligandum in actu secundo quasi non

existeret, sicut tollitur periculum illam violandi formalitèr; non enim violatur formalitèr lex, quæ actu non obligat.

Inferes: ergo, qui sequendo opinionem probabiliorē impingit in legem, ne quidem peccat materialitèr: sicut ager, qui manducat carnes in Quadragesima, non peccat materialitèr, quia lex ipsum actu non obligat. Falsum Consequens: ergo. R. Supposita iterum retorsione argumenti de opinione probatissima, N. Sequelam. Disparitas est, quod lex prohibens eum carnium in Quadragesima de se & ex intentione Legislatoris non comprehendat ægros. At verò extenditur in actu primo ad illum, qui sequendo opinionem probabiliorē, agit contra illam, nihilque aliud requirit ad indicendum obligationem in actu secundo, quam ut debite illi pronunciat; non autem debite illi proponitur, dum prudenter judicat illam non existere.

Quædam alia argumenta objicit Ethica, sed quia sunt levia, facile ex dictis solvuntur.

Consectaria.

Ex dictis itaque colliges 1. illicitum esse extrà casum necessitatis ad administrationem Sacramentorum sequi opinionem probabiliorē, aut etiā probatissimam de illorum valore, relicta tutiore; quia, ut dictum est, validitas Sacramenti non pendet ex opinione hominum probabiliori aut probatissima, sed ex vera & reali institutione Christi, quam cum non tollat, aut immutet opinio probabilior, aut probatissima, non tollit periculum nullitatis, consequenter irreverentiæ & nocuenti. In moralibus autem facere & exponere se periculo faciendi, censetur idem. Hinc meritò damnata est hæc propositio: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabiliorē de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi violaretur lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Est prima inter damnatas ab Innocentio XI.

Qui ergo, extra casum necessitatis, adhibet formam, aut materiam dubiam, probabiliorē, aut probatissimam, relicta certa & tuto, peccat, 1. contra Religionem peccato irreverentiæ in Sacramento & ejus Auctorem. 2. Contra charitatem; & si sit minister ex officio, aut illi ultrò se ingerit, contra justitiā exponens suscipientem periculo arendi Sacramenti & ejus effecti. Idem cense de ipso suscipiente, saltem quoad peccatum irreverentiæ.

Dices: Confessarius licitè absolvit Peenitentem probatissimum dispositum: ergo licitum est sequi sententiam probabiliorē de valore Sacramenti, relicta tutiore. R. N. Suppositum Consequens, non enim hic relinquuntur tutius, cum Confessario non offeratur materia tutior. Neque etiam tutius est denegare absolutionem; quia vix ulla posset dari absolutio, cum regularitèr non habeatur cognitio certa, sed probabilior tantum de dispositione poenitentis.

Dixi extra casum necessitatis: quia in casu necessitatis, si materia certa haberi non possit, potest & debet adhiberi, neminem probabilior, sed probabilis, & dubia: quia, cum Sacramenta sint propter homines, melius & tutius est ea exponi periculo nullitatis, quam homines eis priventur cum periculo damnationis æternæ. Insuper in his casibus non relinquuntur tutius, cum nihil afferatur, quod sit tutius: nisi fortè dicas, abstinere ab administratione Sacramenti; sed, ut dixi, hoc non est tutius. Hinc potest & tenetur Minister baptizare infansem, aut adultum morti proximum, in tenui cerevisia, in qua congelata, rosacea, aut simili materia probabili vel dubia, si qua certò naturalis haberi non possit. Potest & debet Confessarius absolvere moribundum, dubiè dispositum, &c.

An autem, ubi non est extrema, sed moralis quædam necessitas, etiā uti liceat materia probabilis, aut dubia, si certa haberi non possit? v. gr. non potest haberi vinum nisi dubium pro Missa, neque potest omitti Missa sine gravi scandalo: accedit Peenitens dubiè dispositus, & si in absolutis dimittatur ad aliud tempus, facile non redibit, nec spes est, quod erit melius dispositus. R. quibusdam videri, in his & similibus casibus esse etiā licitum adhibere materiam dubiam; quia, inquit, non videtur irreverentiam in Sacramento & Christo, qui ad vitandum scandalum, aut subveniendum proximo exponit Sacramentum alicui periculo nullitatis. Id quoque mihi probabile est. Moneo tamen, casum de Peenitente dubiè dispositum esse cautè intelligendum, nec nimium extendendum.

Petes iterum, an saltem, si opinio de validitate Sacramenti sit moralitèr certa, liceat eam sequi, relicta tutiore? Responso satis communis est, quod liceat; quia nullum tunc est periculum fundatum, nec timor rationabilis nullitatis Sacramenti. Excipiendum tamèn arbitror Baptismum saltem respectu infantis; quia, cum sit illi unicum salutis medium, non videtur

licitum illud, vel minimo periculo nullitatis exponere sine necessitate. Idem forte dicendum de Sacramento Ordinis propter gravissimam inconvenientiam, quæ nata sunt sequi ex eius nullitate.

Colliges 2. Medicum non posse adhibere infirmo remedia dubie, probabilius aut probabilis profutura, quam nocitura, si adsint certæ profutura; quia, cum ejus opinio probabilius nihil immutet in ipsis remediis, non abstergit ab eis periculum nocendi; tenetur autem ex charitate, aut etiam ex justitia, si sit mercede conductus, providere infirmo, meliori & tutiori quo potest modo, & sicut vellet sibi provideri. Quod dixi de Medico, dicendum est de aliis casibus, ubi periculum est damnificandi proximum; quia currit eadem ratio, scilicet quod mea opinio probabilius de re seu facto nihil immutet in eo, & non tollat periculum; teneor autem ex Lege charitatis & justitiæ non exponere sine justa causa proximum periculo damni. Dico: sine causa; quia, si esset mihi justa causa hunc actum ponendi, puta, quia, si non ponam, incurro periculum gravius, aut æqualis damni, tunc licet sequor opinionem probabiliorem; quia non teneor magis alteri, quam mihi providere, cum, ut dicitur communiter, charitas ordinata incipiat a se ipso.

Quid sit dicendum de Judice & Advocato in probabilibus, sufficienter dixi in Tract. de Justitia. Require.

ARTICULUS IV.

Varie questiones circa præcedentes materias breviter resolvuntur.

Petes 1. Quantus debeat esse in opinione minus tuta probabilitatis excessus, ut liceat illam sequi? R. non requiritur, quod sit probabilissima; nec sufficit quicumque levis excessus in probabilitate, sed requiritur notabilis & moraliter gravis.

Ratio 1. partis est; 1. quia, qui sequitur probabiliorem, prudenter agit, ut probatum est: ergo ea sufficit, nec requiritur probabilissima. 2. Quia, si requireretur probabilissima, idem esset secundum suos Patronos, ut non remaneret periculum probabile peccati; atqui tunc desineret esse probabilissima, & fieret moraliter certa, sique nunquam liceret sequi inter probabiles probabilissimam, quod est reprobatum: ergo. 3. Nihil opponitur contra probabiliorem, quin possit opponi contra probabilissimam, ut patet ex dictis; atqui hoc non obstante sufficit probabilissima: ergo & probabilius. Ratio 2. partis est: quia talis, ac tantus debet esse excessus, ut moraliter loquendo exeat dubium, & moveat virum gravem atque prudentem, ut assentiat illi potius, quam alteri; atqui moraliter loquendo ad id non sufficit quivis tenuis & levis excessus, parum enim in moralibus pro nihilo reputatur: ergo.

Quantus autem debeat esse excessus, ut censeatur gravis & notabilis? Vix certo definitur potest. Quidam Recentiores existimant debere æquivalere testimonio duorum testium: quia, inquit, sicut homo non deturbatur ex possessione sua nisi testimonio duorum testium, ita Lex non debet nisi pari aut æquivalenti motivo posthaberi libertati. Adde: duo testes requiruntur, ut Judex prudenter procedat in ferenda sententia: ergo par, aut æquivalentis motivum requiritur, ut vir gravis & prudens procedat in suo opere. Id videtur rationi consentaneum. Equidem, si decem Auctores affirmarent aliquid esse licitum, & novem pariter auctoritatis negarent; non arbitror excessum hunc unius sufficere, ut quid prudenter sequatur opinionem affirmantium.

Petes 2. Quomodo Confessarius, aut vir doctus consultus super licitate aut illicitate alicujus actionis, v. gr. an Contractus triplex sit licitus, debeat respondere consulenti? R. non potest respondere secundum opinionem minus probabilem, sive minus tutam, sive tutiorem; quia, vel diceret licitum, quod ipse probabilis iudicat illicitum; vel diceret illicitum, quod ipse probabilis iudicat licitum, sicque induceret consultantem ad faciendum id, quod ipse consultus iudicat esse malum, vel ad abstinendum ab eo, quod iudicat bonum, ipsamque ideo consultantem utrimque deciperet vel nimis laxando, vel nimis coarctando ejus conscientiam. Debet ergo respondere secundum probabiliorem sententiam, quam tenet, non tamem semper simpliciter & absolute; si enim opposita sententia sit etiam verè probabilis, & a pluribus viris doctis sustineatur ut probabilius, pericliteturque damnum tertii, puta quia agitur de restitutione facienda, aut contractu ineundo, respondere debet se ita probabilis sentire propter tales & tales rationes; non deesse tamen viros doctos & graves, qui oppositum sentiunt, quos potest adire, & eligere coram Deo, quod ipsi erit probabilis. Ratio est; quia, si responderet simpliciter & absolute secundum sententiam sibi probabiliorem, exponeret consultantem periculo, puta restituendi, quod non debet restituere, vel

non restituendi quod debet restituere, vel ineundi Contractum alteri nocivum, aut abstinendi a Contractu sibi proficuo.

Petes 3. utrum Confessarius possit & debeat absolvere Penitentem reluctantem suæ opinioni? R. 1. Si opinio Penitentis sit certò minus probabilis, & eam ut talem agnoscat Penitentem, velique illam sequi, debet Confessarius illi denegare absolutionem, tanquam indispositio, etiamsi dicat se esse Probabilistam. Patet ex dictis art. primo. 2. Si opinio Penitentis sit singularis, nulla ratione solida fulta, & vix aquoquam alicujus ponderis propugnata; quantumvis Penitentem ex pertinacia reputet probabiliorem, debet Confessarius ipsum instruere de improbabilitate suæ opinionis; & si noli acquiescere, ipsum dimittere inabsolutum: quia irrationabiliter & ex pertinacia adhaerens opinioni improbabili, non est sufficienter dispositus. 3. Tandem, si opinio Penitentis, quam credit probabiliorem, sit reverà solide probabilis, & a pluribus gravibus & doctis viris ut probabilius propugnata, distinguendum est: Vel secundum illam periclitatur validitatis Sacramenti, ut si Penitentem existimet probabilis attritionem merè formidolosam sufficere, nec aliter dispositus accedat, nisi deserat, non debet absolvi, quia proprio iudicio exponit Sacramentum nullitati. Vel secundum eam non periclitatur valor Sacramenti, puta, si probabilis existimet se in tali casu non teneri ad restituendum, aut a tali Contractu abstinendum; etiam si nolit acquiescere Confessario, & sit aliunde dispositus, debet in sua opinione relinqui & absolvi: quia 1. in pari causa non debet sibi ablandiri Confessarius, nec credere se habere clavem scientiæ, quasi ipse totum sciat & solus videat, alii autem, qui oppositum sentiunt, sint cæci, & in statu damnationis. 2. Quia Penitentem, postquam declaravit sua peccata, & aliunde est dispositus, habet jus ad absolutionem, quam non potest illi absque injuria denegare Confessarius, nec illum iudicare indispositum, quia adhaeret sententiæ sibi fundatè probabiliori, cum secundum illam agens non peccet: ergo.

Neque obstat, quod Judex fori non possit iudicare secundum opinionem unius partis litigantis contra aliam. Disparitas est enim, quod Judex fori sit constitutus medium inter partes litigantes, ut quod non sibi & non uni litigantium æquius videtur, iudicet: unde aperte faceret injuriam alteri litiganti, si secundum opinionem partis adversæ contra propriam dirimeret litem. At verò Confessarius est constitutus Judex, ut absolvat a peccatis præteritis, & futura impediatur; Penitentem autem potest cavere futura sequendo stam opinionem sibi solide probabilem.

Dixi: Si opinio Penitentis sit ipsi solide probabilior, & ut talis ab Auctoribus gravibus propugnatur: quia, si ex inordinato affectu, aut errore crederet esse probabiliorem: v. gr. si crederet occasionem non esse proximam, quam Confessarius oculatior & doctior reputat proximam, aut ex ignorantia credit probabilis se non teneri ad restitutionem, & Confessarius iudicet ejus opinionem in errore fundatam esse; in his & similibus casibus, si Penitentem nolit acquiescere iudicio Confessarii, non debet absolvi; quia in his tenetur potius credere Confessario, quam sibi soli; in propria causa non sine deceptionis periculo iudicanti. Et ista exceptio hujus tertie responsionis æquus est secundæ responsionis.

Petes 4. Utrum sit licitum sequi opinionem, quam directè iudico minus probabilem, sed quam reflexè scio a multis sustineri ut probabilem, absque eo quod illi ut verè assentiar, v. gr. iudico probabilis contractum triplicem esse illicitum, sed scio sustineri a multis ut probabilis esse licitum, possuntne agere secundum illam opinionem, quam minus probabilem iudico, & cui ut verè non assentior? R. Negative: Quia vel meam propriam opinionem, quam probabilem habeo, & quam in praxi relinquo, iudico veram, vel suspensum & dubium hæreo; non enim, ut supponit questio, assentior ut verè minus mihi probabili, quam in praxi sequor. Si primum: ergo ejus contradictoriam, quam in praxi sequor, iudico falsam & a veritate legis alienam, ut patet. Si secundum, tutius est eligendum, ut late probavimus. Confirmatur: Si mihi liceret sequi sententiam, quam alii sustinent ut probabilem, sed quam iudico minus probabilem, & cui ut verè non assentior, liceret sequi quæcumque sententiam etiam tenuiter & vix probabilem, cum vix sit aliqua opinio tam laxa; & tam absorta, quæ non habeat Patronos, qui illam sustinent ut probabilem: hæc autem est damnatum a S. Sede. Insuper recurrit omnia, quæ contra minus probabilem diximus, & sequuntur omnia inconvenientia, quæ ex Sententia Probabilistarum deduximus.

Dices: Subditus potest sequi sententiam sui Superioris, quam iudicat minus probabilem, ut supra diximus; & Confessarius opinionem sui penitentem, quam etiam iudicat minus probabilem, ut modo dicebamus: ergo. R. In his casibus opinionem Superioris & penitentem esse respectu subditi, aut Confessarii me-

merè speculativas, quippe quæ non influunt in formando ultimo iudicio practico Conscientiæ, sed istud formatur ex aliis principiis moraliter certis: sic enim dicit subditus: Non pecco obediendo Superiori in his, quæ non sunt aperte contra Deum; sed hæc, quæ nunc jubet, non sunt aperte contra Deum: ergo non pecco illi nunc obediendo; præmissæ sunt moraliter certæ, subinde & ipsa Conclusio. Pariter Confessarius dicit: Bonum est relinquere penitentem in opinione, quam rationabiliter iudicat probabiliorem; atqui iste penitens iudicat rationabiliter suam opinionem probabiliorem: ergo bene facio ipsum relinquo in sua opinione. Utraque præmissa iterum est moraliter certa, ideo & Conclusio.

Subsumes; atqui similiter agens in casu questionis potest sibi formare iudicium practice certum ex principiis reflexis, sicut licitum est sequi sententiam, quæ secundum plures est probabilius; atqui sententiam, quam sequor, est secundum plures probabilior: ergo. R. N. Subsumptum, & dico Majorem hujus Syllogismi non solum non esse moraliter certam, sed absolute falsam; quia, ut probavimus, vel sequeretur opinionem, quam iudicat falsam, & legi difformem, quod est illicitum; vel esset dubius, & tunc non potest agere secundum illam, nisi sit tutior.

Petes 5. Utrum unius Doctoris auctoritas sufficiat communiter ad reddendam aliquam opinionem absolute probabilem, & in Praxi tutam? R. Negative, ut jam superius dixi. Patet 1. ex propositione damnata, quam art. 1. retulimus. 2. Ex S. Thom. qui quodlibet. 3. art. 10 dicit: In his, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistræ. Excusaretur autem, si auctoritas unius Doctoris redderet opinionem absolute probabilem, & in praxi tutam. 3. Quia alias tute essent tot nefandæ opiniones assertæ a Probabilistis, qui mutuo sibi palpabant, & laudibus reciprocis sese efferebant ut graves, & doctos Auctores. Dixi communiter: nam, si esset talis ac tantus Doctor in Ecclesia, cujus auctoritas multorum rationibus, & auctoritati præponderaret, aut saltem æquivaleret, sufficeret, ut ejus opinio haberetur absolute probabilis, & tuta in praxi, nisi forte alter ejusdem ponderis, & auctoritatis contradiceret.

Petes 6. Utrum unicusque liceat sequi opinionem, quam primo aspectu existimat probabilem? R. Nemo potest licite sequi nisi eam opinionem, quam post adhibitam pro qualitate rei, conditionis persone, & temporis opportunitate sufficientem diligentiam, sincerè coram Deo iudicat probabilem; quia

alioquin imprudenter, & temerè ageret exponendo se voluntarie periculo agendi contra Legem.

Quæ autem diligentia censeatur sufficiens? Quamvis non possit dari Regula generalis certa, secundum tamè quod communius contingit, sequentia propono. Illiterati quosdam reputare probabiliorem, & tute sequi sententiam, seu consilium sui Pastoris, vel Confessarii, qui habetur vir prudens, & doctus, aut alterius viri pariter prudentis, & docti, quia illi nihil melius habent, quod faciant. Quod si duos consulat æqualis ponderis sibi contradicentes, tutius eligant. Semi-Docti consulant Doctiores, neque nimii rigoris, neque nimie laxitatis suspectos, aut libros evolvant, in quibus dum reperitur opinionem unanimiter assertam ab Auctoribus, & oppositam aut silentio præteritæ, aut uno ore rejici, possunt illam sequi ut probabilem. Si legant Auctorem, latentem sententiam suæ minus tute oppositam esse communem, hæc sequantur; quia illi semi-docti per se non possunt momenta rationum perpendere, & vix altam possunt Regulam sequi, quam auctoritatis. Si Auctor gravis, quem legunt, dicat duas opiniones contradictorias esse æque probabiles, sequantur tutiorem; si minus tutam esse probabilem, possunt illam sequi. Tandem viri Docti eam opinionem habeant probabilem, & alii ut talem suadeant, quam semotis passionibus, & præjudiciis, sed maturè perpensis rationum hinc, & inde momentis, & attentæ Auctorem pro & contra gravitate, & pondere, sincerè coram Deo iudicantalem.

Pro Colophone.

Totus hujus Dissertationis, & in validissimam ejus confirmationem observare juvat Doctrinam de probabilitate, quam hic usque tradidimus, secundum diversos ejus gradus, eam ipsam esse doctrinam Oleri Gallic. in Conventu Gen. Ann. 1700. ubi sic loquitur: Ad rectum usum probabilium opinionum hæc Regula à Jure præscripta agnoscimus. Primum, ut in dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrimque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius, si ve quod in hoc casu unice tutum: neque id consilii, sed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura: Qui amat periculum, in illo peribit. Hæc prima Regula. Altera..... ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consentaneam duxerit. His paucis succus, & summa totius nostre Dissertationis comprehenditur.

TRACTATUS

DE PASSIONIBUS, ET VIRTUTIBUS.

D. Thom. a Quest. 22. ad 49. & a Quest. 55. ad 71.

Postquam S. Thom. a Q. 6. usque ad præsentem 22. disseruit de Actibus homini propriis, quibus ultimum finem consequi potest, ab hac q. 22. ad q. 49. disserit de actibus, homini, & aliis animalibus, qui dicuntur Passiones; quatenus enim subsunt politicè imperio rationis, participant aliquid de ejus regulatione, & de moralitate, possuntque conducere ad ultimum finem, vel ab eo avertere. Unde circa eas regendas occupatur magna pars Virtutum; ex earumque deordinatione pullulant plurima vitia. Quia tamem circa hæc materiam non sunt graves controversiæ, & vix tractatur in Scholis, summam eam percontremus. Similiter de Virtutibus, de quibus agit S. Doctor a q. 55. ad 71. pauca dicemus propter easdem rationes; & quia plura de illis dixi in opere de Virtutibus Cardinalibus. Omnia ergo, quæ de Passionibus, & Virtutibus dicuntur sumus, duplici Dissertatione compendiosè complectemur.

DISSERTATIO I. DE PASSIONIBUS.

D. Thom. a Quest. 22. ad 49.

ARTICULUS I.

De Passionibus in communi. D. Thom. a Q. 22. ad Q. 28.

Queritur 1. quid sit Passio? R. Communis omnium sensus est, Passionem esse actum appetitus sensitivi, quo quis ad aliquid afficitur, vel ab eo refugit. Cur autem, cum sit actus, dicatur Passio? Ideò, quia iste actus natus est causare transmutationem in dispositione naturali corporis; Theol. Billuart. Pars Secunda.

quæ transmutatio infert Passionem, quatenus subjectum patitur amittendo aliquid.

Pro cuius intelligentia observandum est, quod pati dicatur tripliciter. (Hic q. 22. art. 1. o.) Uno modo communiter, & late, secundum quod omne recipere est pati, etiamsi nihil abijciatur a re: ut si dicatur aërem pati, dum illuminatur: & hoc sensu intellectus, & sensus cognoscitivus recipiendo species possunt dici pati. Alio modo dicitur propriè pati, quando aliquid recipitur cum alterius abiectione. Et hoc contingit du-

Mmm

pli-